

RECITATIONVM
IN ALMA LVDOVICIANA
TAM
ORDINARIARVM,
QVAM
EXTRAORDINARIARVM,
SEMESTRI AESTIVO




A. R. S. CIOCCCLXXIII.

HABENDARVM

ET

D. XVIII. APRILIS INCHOANDARVM

SERIES.



G I E S S A E,

litteris IO. IAC. BRAVNII, acad. typogr.

ACADEMIAE LVDVICIANAE
RECTOR
D. IOANNES GVILIELMVS
BAVMER

CVM SENATV.

Non poetis tantum, aestimariis Domini commilitones, affirmante autöre incerto *Dialogi de oratoribus*, si dignum aliquid elaborare velint, deferenda conuersatio amicorum, fugienda iucunditas vrbis, atque in solitudinem recedendum; sed omnibus etiam omnino Musis secessus semper arrisit. Sedatum pectus, otium ab omni strepitu remotum, contemplationem atque meditationem, quae solae viam ad sapientiae penetralia sternunt, mirum in modum adiuuant. Haud inepte igitur Pythagoras in doctrinae atque vitae societatem non nisi variis exercitationibus exploratos recepit, quae extirpandis perturbacionibus inseruient. Quam austeram vitae rationem etsi feruori iuuenili repugnare haud ignoremus, attamen, *Carissimi*, vt exiguum, quod vitae academicae datur, temporis spatium a clamoribus, grassationibus, omnique tumultu, deprauatorum morum teste, inturbidum esse sinatis, atque solis, quarum Vobis iterum, scholas aperimus, dulcissimis litteris vacetis, admonemus Vos atque obtestamur.

LECTIONES ORDINARIAE THEOLOGICAE.

D. IO. HERMANNVS BENNER

Academiae, Senior.

Lectionibus exegetico practicis atque dogmaticis ipso cum semestri termino absolueudis, nouas vernis & aestiuis mensibus dicatas, substituet. Horis hucusque destinatis, publice, *theologiam practicam*, ita tractabit, vt, quae natura duce, de virtutibus cognoscimus, vbi que comparet cum iis, quae in schola Christi, per vim gratiae superioris praestantur. *Privatim*, primo *introductionem* in theologiam, praecipue dogmaticam, deinde, ipsa dogmata religionis Christianae, non vage, sed eo nexu tradet, qui *scientiam* sacris e fontibus haustam sistat. Ad vtrumque suis vtetur libellis. Et quoniam *exegeticas lectiones* ad praxin pietatis, & vsum homileticum hucusque accommodauit; in his quoque pergere non grauabitur; vehementer optans, vt studium quoque publice disputandi inter nostros reuiuifcat.

D. IOHANNES GEORGIVS BECHTOLD

Lectiones suas consuetas *dogmatico - polemicas* hora VII. & *morales* hora VIII. de integro inchoabit, *hermeneutico - criticas* iisdem horis, diebus Mercurii & Saturni, continuabit; *theologiam pastorem* Deylingianam, hora II. simul expositorus, ad alia quoque, quae auditorum diligentia desiderabit, & inter haec in primis ad specimina theologica publicam in lucem proferenda paratissimus.

LVDVICVS BENIAMIN OUVRIER

Hora X - XI. Theologiam moralem ad ductum D. Lessii denuo docebit. Hora XI - XII. Danouii institutiones Theologiae dogmaticae explicabit. Praeterea exercitationes homiletico practicas continuabit.

D. CAROLVS FRIDERICVS BAHRDT

Praelectiones cursorias in *Veteris Testamenti* libros, continuabit atque per semestre aestiuum prophetas minores Micham scilicet, Ionam, reliquos, interpretabitur, non molestantem homileticorum sedulitatem sed philologorum *angustias*, secuturus. Lectiones philologicas etiam in *Nou. Test.* quas per hos tres annos diuina annuente gratia omnino absolueri contigit, de nouo exordietur & Matthaei historiam proximo semestri enucleabit. Praeterea *doctrinam morum christianam* duce *Millero* tradet. Scholas etiam *Syras & Arabicas orientalem litterarum studiosis* offert; denique, historia ecclesiastica N. T. veteri scilicet & media absoluta, *historiam reformationis* inde a Saeculo XV. repetendam, enarrare paratus est.

ACROASES IVRIDICAE

D. IO. CHRISTOPHORVS KOCH

Pro more & consuetis horis, ex tabula publica indicandis, Pandectas, Institutiones, Ius criminale & canonicum docebit.



D. CHRISTIANVS HARTMANNVS SAMVEL GATZERT

Hor. VII - VIII. *Ius Publicum S. R. I. Pütteri*; hor. VIII - IX. *Ius Feudale Boehmeri* ductu explicabit; hor. XI - XII. *Theoriam Processus* tradet & hor. III - IV. absoluet ea, quae de *Iure Germanico priuato* restant.

D. LVDOVICVS IVLIVS FRIDERICVS HOEPFNER

Publicis lectionibus *ius publicum vniuersale & gentium* hora VII., *privatis* institutiones hora VIII. *historiam iuris* hora X. proponet. Ad *historiam* quoque *literariam iuris*, *antiquitates & alia* promptus erit & paratus. Quos hucusque securus est in *praesectionibus* libellos, & hoc semestri sequetur.

HELVICVS BERNHARDVS IAVP.

Ius publicum German. hor. VII. - VIII. *processum imperii* hor. IX. - X. *historiam imperii* hor. III. - IV. docebit, substratis, quibus hucusque vsus est, *Pütteri* libellis. In gratiam eorum, qui *iuris publici praesectionibus* vel proximo semestri interfuere, vel per semestre aestiuum intererunt, *ius priuatum principum* singulis Lunae & Iouis diebus tradet hor. II. - III.; ad alias quoque, quas desiderari intelliget, lectiones paratus.

INSTITVTIONES MEDICAE

D. IOAN. WILHELMVS BAVMER,

Med. Prof. primar.

Hor. X. in priorem pharmacopoeae Wirtenbergicae partem commentans, exhibitis ipsis pharmacis, eorum proprietates, nec non integritatis corruptelarumque notas, sedulo tradet. Hor. XI. Praeunte b. m. Dn. Zach. Platnero; collegium theoretico - casuale de morbis mulierum atque infantum aperiet. Hor. I. diebus Xii & Vni, b. m. Dn. Henr. Bassii tract. de morbis venereis in auditorio medico publice explicabit.

D. GEORGIVS LVDOVICVS ALEFELD

P. P. O.

Per instans semestre aestiuum *Pathologiam generalem* hora p. m. Iida tradet, & in gratiam eorum, qui arti obstetriciae operam dare cupiunt, Compendium Friedianum, vernacula lingua sub rubro *Anfangsgründe der Geburts - Hilfe* conscriptum, explicabit. Iis quoque, qui disputando sese exercere cupiunt, *Collegium disputatorium in selectas theses physiologicas* offert, ad plura etiam, quaecunque desiderabuntur, paratissimus.

FRIDERICVS AVGVSTVS CARTHEVSER,

Med. Prof. ord.

Hor. IX. - X. praesectiones botanicas instituet & plantas horti academici secundum systema Linnaeum demonstrabit. Alia hora *Historiam criticam praecipuorum systematum botanicorum* enarrabit.

RECITATIONES PHILOSOPHICAE.

ANDREAS BOEHM,

Log. Metaph. & Mathem. P. P. O.

Hor. VII. *logicam*, h. VIII. *metaphysicam*, h. I. *mathesin puram*, h. II. *applicaram* docebit. Plura desideraturis opera sua non deerit. Bibliothecam publicam consueto tempore aperiet.

FRIDERICVS AVGVSTVS CARTHEVSER,

Philosopb. natural. Prof. ord.

Hor. VIII. - IX. *Elementa Physices* tradet. Hor. XI. - XII. *Fundamenta Oeconomiae vrbsanae* ad compendium Cel. Fabricii, quem praecedente semestri in exponenda *Oeconomia rustica* ducem secutus est, explicabit.

IO. CHRISTOPH. FRIDERICVS SCHVLTZ

LL. Or. & Graec. P. P. O.

Publice Pindari Olympionicas h. VII. - VIII. *privatim* Euangelium Matthaei h. X. - XI. *Idem* h. XI. - XII. interpretabitur. Linguam anglicanam vi officii docet.



D. CHRISTIANVS HENRICVS SCHMID,

Poeses & Eloquentiae P. P.

Hor. VII. - VIII. publice *Arts poeticæ* institutiones tradet, priuatim Hor. VIII - IX. selectiores *Plauti* fabulas illustrabit. Caeterum *Dialogi de causis corruptae eloquentiae* explanationem, *orationis solutae Litteraturam*, *Orbis antiqui Geographiam*, *Statuum Europaeorum historiam*, *Grammaticæ Theoriscae* praecepta, desiderantibus officia paratissima sponder.

ERICVS CHRISTIANVS KLEVESAHL,

Moral. Iuris Nat. & Gent. P. P. O.

In publicis horis ex Compendio iam nunc typis exscripto, Historiam Iuris nat. eiusque capita a nonnullis in dubium vocata, attamen ponderosa, vberius, quam in praelectionibus ordinariis fieri potest, tractabit. Priuatim & quidem *Hora VIII.* Ius ipsum Naturae & Gentium, *Perill. Dariesto.* praecunte, & *Hora III.* disciplinam moralem de integro ordietur, simulque in instituendis Exercitationibus practicis, Examinibus & Disputationibus singulis diebus Saturni habendis more suo perget. Praeterea in philosophia ciuili, & historicis praelectionibus operam suam cupientibus haud denegabit.

HENR. MART. GODOFR. KOESTER,

Hist. Polit. & Sc. Cam. P. P. O.

Praelectiones instituet in 1) Historiam Vniuersalem ad Compendium Gattererianum hora VIII - IX. 2) Historiam Imperii Germanici ad Compendium Pütterianum hora IX - X. 3) Historiam Europaeam ad Compendium proprium hora X - XI. 4) Philosophiam moralem ad Compendium proprium hora III - IV. Nec ijs deerit, qui scientiis Cameralibus, aut Linguis exoticis operam nauare velint.

LECTIONES EXTRAORDINARIAE.

IOANNES CHRISTIANVS DIETZ,

SS. Theolog. Professor publ. extraord.

Postquam praeterlapsa hieme, introductionem historico - analyticam in omnes Noui foederis libros, ad colophonem perduxit; per hoc semestre aestiuum eiusdem generis introductionem in Prophetas V. T. minores inchoabit. Praeterea in diuini Paulli epistolam ad Galatas collegium exegetico - homilericum aperiet; Graecae etiam & Hebraeae linguae fundamenta desiderantibus more consueto traditurus.

IO. CHRISTOPH. FRIDERICVS SCHVLTZ

Seminar. Concionat. Director.

Dogmaticam Theologiam de nouo ordietur h. IX. - X. Seminarium Concionatorum horis conuictis aperiet -- Publico scripto: *Vom Standpunkte des praktischen Dogmatikers* ager.

D. CHRISTOPHORVS LVDOVICVS NEBEL,

Medicinae Professor publicus extraordinarius.

Et lectiones suas priuatissimas, & publicas anatomicas in *Heisteri Compendium Anatomicum* continuabit, *Splanchnologiam* imprimis tradet. Si numerus nouorum philiatorum ad erit, *Osteologiam* quoque demonstrabit. Operationes manuales & instrumentales artis obstetriciae in Simulacro, (phantome) ad *cel. Steinii* methodum ex integro sceleto muliebri artificiose exstructo, docebit, manusque commilitonum exercebit. Si denique tantum temporis supererit, medicinam forensem proponet.

Praeter ista Generosissimis Nobilissimisque Ciuibus de *luculenta equitandi, pugnandi gladio saltandique* palaestra, *Gallicae* item & *italicae* linguae scholis, per magistros earum peritissimos, publice constitutos, abunde prospectum est.

